



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Amico expectata jam diu prole recèns aucto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

A M I C O

Expectatâ jam diu prole recens aucto.

Laudativa.

Attigisti tandem optatam votorum tuorum metam, Carissime. Prolem habes, qualem adesse tibi cupiebas. Næ gaudeo tuâ causâ plurimum, & immortales ago Superis gratias, quos tam amicos, tam ultrò indulgentes tibi expertus sis. Fuisset profectò durum quid nimis, si nomen illud, quod accepisti à majoribus, tot rerum domi forisque præclarè gestarum gloriâ nobilitatum unâ tecum interiisset. Provisum est feliciter huic incommodo, unde non leve damnum Respublica tota accepisset. Natus est tibi filius, qui partum decus tueatur. Hæredem habes, non avitæ modò sed & paternæ laudis futurum amulatorem. Felicem te tam beatâ sobole parentem, feliciorum filium, qui parente tali gaudeat! Neque enim, filium olim dum institues, & ad omne virtutum genus grandiorum promovebis, id tibi laboris incumbet, ut conquiras operosius illustra rectè factorum exempla, quæ filio imitanda proponas; habebit in te uno, quem respiciat, & unde sumat exemplum sibi; in te verò filius dum intuebitur, & præclara patris facinora memoriâ repetet; tantò se acriùs stimulari sentiet ad virtutem, quantò majorem ad excitandos animos exempla domestica vim habent, quàm aliena. Quid superest, nisi ut pro pueri incolumitate vota faciamus? Vivat ille! crescat in expectationem rerum

rerum tantarum ! Atque id si Superi nobis annuerint, nihil video, quod vel amicis, vel tibi expetendum sit. Vale.

A M I C O S U O

Ob missum recens editum ab eo Opusculum.

Ad agendas gratias.

Fecisti rem gratissimam, si quam aliàs unquam, Amice; qui opusculum à te nuper in lucem editum pro tuâ humanitate ad me miseris; pro quo dicere non possum, uti reverentio, quantum tibi debeam. Legi illud semel atque iterum, neque retrahabo minùs suaviter, postquam eorum explevero curiositatem, qui libellum verè aureum ambiunt. Quanquam vix exorabo, quæ tua modestia est, ne suspiceris adulari velle me tibi, aut amiciùs sentire de te, tuisque rebus, si meam de libro tuo sententiam interposuero. At non recusabis iudicium multorum hominum, qui eruditi inter paucos & delicati palati apud omnes audiant. Illi sic extulère totius operis gravitatem, elegantiam, concinnitatem, nihil ut ad cumulatum ex omni parte absolute accedere posse arbitrentur. Verùm non est illud novum atque insolens, quòd à te tam eximium opus exierit, qui nihil nisi perfectum ingenio & elaboratum industriâ edere soleas. Perge, uti fecisti hactenus, promovere ram feliciter illam indolem, quam peculiari Superum

N

rum